



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia**

**Karchne, Simon**

**Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714**

§. IX. Quanto tempore possessio continuanda ad præscribendum? ubi  
obiter insinuantur privilegia possessionis immemorialis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**

§. VI.

*Resolvuntur Sex quæsita de quibusdam rebus an sint  
impræscriptibiles?*

R<sub>E</sub>solutiones vide à num. 454.

§. VII.

*An jus Patronatus & jus supremæ Advocatice in Ecclesiis  
adversus Principem praescribi possit? & an vicissim valeat  
praescribere Princeps jus eligendi aut nominandi Episcopos, alios-  
ve Rectores Ecclesiastarum in suo territorio.*

QUæstio resolvitur à num. 463.

§. VIII.

*Examinantur jura à Patronis & Advocatis moderno  
tempore prætensa.*

EXAMEN horum leges à num. 468.

§. IX.

*Quanto tempore possessio continuanda ad praescribendum,  
ubi obiter insinuantur privilegia possessionis im-  
memorialis.*

<sup>182.</sup> RE Es alia sunt mobiles, quæ loco possunt moveri, ut pecunia, vestis, animalia, proinde etiam actiones, & jura ad mobilia v. g. actio ad debitum pecuniarium mobilibus accen-

sentur. Aliæ sunt immobiles, ut prædia, quo reducuntur jura, & actiones ad immobilia, ut annui centuri ulusfructus, patronatus, servitutes, beneficia, omnia enim hæc, & similia sunt fixa.

Tem-

Tempus est, aut breve, quale est infra decennium, aut longum ut decennale, aut longissimum ut tricennale, aut quadragenale, aut centenarium, vel immemoriale, id est, cuius initium memoriā hominum excedit. *C. super quibusdam 26 de V. S.* quale tunc potissimum requiritur, quando jus resistit præscribenti carenti titulo: est maximæ Authoritatis in jure habens vim privilegij in subjecto possessionis capaci: *Glossa in dictum cap.* nec comprehendetur statuto, vel legge Generalibus verbis prohibente præscribi. Munitus possessione immemoriali non tenetur allegare titulum, cuius tamen allegatio plene non probata communiter non obest. Nihil tamen juvat, quando constat de titulo vitiosæ possessionis, ut si possideat titulo elocationis, aut Emphyteusis, tunc enim possidentis titulus docet rem esse alienam, proinde abesse bonam fidem, cuius necessitas etiam in possessione immemoriali liquet *ex n. 171. Fachsen. Lib. 8. c. 33.* Æti nec quod jus commune resistat, aut sit vehemens præsumptio possessionem acquisitam esse malâ fidei, aut ex juris errore; sed sufficit probare possessionem ab immemoriali tempore: quia satis inducit præsumptionem tituli, aut accepti privilegij *Laym. Lib. 3. tract. 1. c. 8. & n. 11.*

Ad eam probandam communiter exiguntur 4. conditiones prima ut testes sint 54. annorum testificantes de 40. annis. Secunda, ut testentur de visu, vel sensu proprio. Tertia, quod etiam audiuerint à suis majoribus de talis usu. Quarta quod nunquam contrarium fuerit prædicatum.

*Circa computandum tempus Haubold. n. 267.* distinguit inter præscriptio-

nem extinctivam actionum realium; & præscriptionem contra actiones personales, quibus ex parte præscribentis correspondunt obligationes; ut contra has præscribatur, computandum est tempus de hora ad horam, de momento ad momentum proinde actori debet esse totus dies utilis, quia donec effluxerit ultimum momentum, si intra id agat, verificatur, quod si actio sit E. g. annualis, agat in annum; ad præscribendum vero contrareales sufficit inchoatio ultimæ diei, habetur enim tunc jam pro completa, nam secundum leges prior Dominus non habet actionem in rem, nisi sub hac condizione, si alius Possessor non possederit tanto tempore, sed verificatur possedit tanto, dummodo possederit sub principium postremæ diei, & sub hac distinctione combinat leges sibi apparenter oppositas in usucacione, id est, in præscriptione mobilium dies ultimus cæptus habetur pro completo *L. 6. Cod. de usucap.* atque præscriptione immobilium tempus computatur de momento in momentum *L. 7. e. Cod.* Rationem dat Jason, quod è majori præjudicio agatur in immobilium præscriptione.

*183.* Dico primò possessio triennalis cum titulo præscribit res privatorum mobiles *L. unic. Cod. de usucap. transformanda, & §. 1. Inst. de usucap.* Excepte res furtivas, & vi possellas per *n. 179.* Triennalis vero sine titulo, quia etiam immobiles sic præscribuntur.

Amplia probabilius etiam ad mobilea Ecclesiastum inferiorum Romanâ secundum jus civile *ex Authentic. qualis actiones Cod. de sacros. Eccles. Lessius, Laym. contra Abbatem,* aliósque approbatos ab *Engl. de præscript. n. 28.* innigent

tentes Capitulo illud de prescript. non distingue mobilea, & immobilia Ecclesiarum. Constitutio autem civilis allegata circa Ecclesias sic inefficax Cap. Ecclesia S. MARIE de Constitutionibus, sed fallit argumentum, quando jus civile recipitur ab Ecclesia, citatam autem authenticam recipi ab Ecclesia constat ex Cap. placuit hinc, & cap. ultim. caus 16. q. 3. Ubi in priori recitantur verba authenticæ, eaque in posteriori confirmantur.

184. Dico secundò immobilia pri-  
vatorum inter præsentes cum titulo præ-  
scribuntur decennio, inter absentes vi-  
cennio § 10. Instit. de usucap. & L. ul-  
tim. Cod. de prescript. longi temporis  
(excipiuntur res pupillorum, mino-  
rennium, dotalis; fideicommissio sub-  
jecta per num. 180.) sine titulo 30. annis  
L. 3. Cod. de prescript. 30. vel 40. anno-  
rum, sine distinctione inter præsentes,  
& absentes Engl n. 29. si quis fuit partim  
præsens, partim absens, tempus absen-  
tia est semper duplicandum, ut si quis  
præsens fuit 8. & absens duobus, & præ-  
scriptio compleatur præter 8. adhuc 4. re-  
quiruntur, Auth. quod si quis Cod. de  
prescriptione longi temporis.

185. Dico tertio immobilia Eccle-  
sie, Monasterij, hospitalis, aut alterius  
piæ causæ secundum jus commune non  
præscribuntur ante 40. annos ex cit. Auth.  
quas actiones, & c. 4. ac 6. de  
prescriptione.

Excipe Romanam Ecclesiam contra  
quam non currit prescriptio, nisi cen-  
tenaria cit. c. 4. & 13. cod. in quibus,  
quia sermo est indefinitus, sunt univer-  
saliter intelligenda, proinde etiam de mo-  
bilibus, ita Haunold. n. 271. Molin, &c;

Contra Less. Banormit. à Regula cente-  
nariæ præscriptionis contra Romanam  
Ecclesiam unicus casus excipitur in cap.  
fin. de prescript. in 6. Ubi statuitur suf-  
ficere possessionem 40. annorum.

Sequitur ex conclusione: jus Patro-  
natūs contra Ecclesiam præscribi cum titu-  
lo 40. annis, sine titulo immemoriali tem-  
pore: at contra verum Patronum præ-  
scribitur sicut reliqua immobilia præscribi  
solent, ita Less. c. 2. c. 6. dub. 10. n. 31.  
& 33.

Dixi in conclusum secundum *jus com-  
mune*: quia contra certos Ordines ex  
privilegio non præscribitur 40. annis, sed  
60. ut contra Benedictinos, ita Euge-  
nius IV. neque contra Cistercienses in  
Germania, nisi centum annis, quod à  
Leone X. & Pio IV. est extensum ad Or-  
dines mendicantes, eoque gaudent o-  
mnes in privilegijs communicantes: Lu-  
go n. 73.

186. Dico quartò, cum servitus (de  
qua vide n. 176.) reputetur inter immo-  
bilia, si sit continua, cum titulo præ-  
scribitur inter præsentes decennio, inter  
absentes vicennio. L. fin. Cod. de præ-  
script. longi temporis, in modo etiam sine  
titulo præscribi eam longe tempore habe-  
tur L. 10. ff. si servitus vindicetur. Cur  
alia immobilia non præscribantur sine ti-  
tulo ante absolutum longissimum tempus,  
dat disparitatem Haunold. num. 307. quod  
præscriptio servitutum non videatur mul-  
tum præjudiciosa, utpote non tollens Do-  
minum, & facilius præsumatur aliquis  
titulus, vel error invincibilis intervenisse.  
Servitutes autem discontinuum habentes  
actum cum titulo præscribuntur etiam lon-  
go tempore, secus absque titulo, nisi  
tempore immemoriali Haunold. à n. 311.

B b

cūns

cum recepta sententia potius auctoritate, quam jure scripto roborata.

Excipitur ab his servitutibus ususfructus, qui praescribitur more ceterorum immobilium, Haunold. num. 315, censens probabilius esse usumfructum mobilium cum titulo praescribi triennio, sicut res ceterae mobiles praescribuntur.

Quanto tempore praescribatur contra legem, tam civilem quam Ecclesiasticam, ac legitimam consuetudinem vide Lugo n. 96, ubi contra Lessium traditum praescribi decennio, et si mala fide non fuerit observata: quia si bona fides esset necessaria ad desuetudinem, vix unquam lex praescribi posset; unde est presumendum, quod legislator, cum lex sit propter bonum subditorum, non in eorumdem laqueum, nolit amplius inesse legi vim obligandi elapso decennio, econtra si fides mala sufficeret ad prescriptionem temporalium, plurimi innocenter sua amitterent, & sic est disparitas.

187. Dico quinto: Praeter tempus a jure definitum ad prescriptionem requi-

ritur, ut possessio sit legitima; id est, non interrupta per. n. 166.: interruptur autem naturaliter, vel civiliter; naturaliter, quando postquam est inchoata, deficit aliquid substantiale, scilicet bona fides, vel titulus, vel admittitur possessio tam naturalis quam civilis non per alterius injuriam; civilis vero, dum nihil substantiale re ipsa deficit, jure subtilitate, & fictione Possessor interpellatur per actum aliquem juridicum ex legis dispositione inducitum interruptions, ut sit per litis contestationem huc est initium, seu primus litis motus per petitionem unius in jure propositam, & congruam alterius responsionem secutam animo litigandi) vel etiam secundum communiorum sententiam per libelli oblationem, vel citationem, si tamen actus succubuerit, vel litem sponte deserit præscriptio non interruptur: semel naturaliter interrupta de novo est inchoanda, ut, & civiliter interrupta per sententiam condemnatoriam.



## ARTICVLVS SECUNDVS.

*De acquirendo Dominio per publicam Authoritatem.*

188. Inter actus Domini translativos est etiam exactio tributorum ob publicas necessitates, & supremi Principis sustentationem. Ubi Notandum primo, quod tributum communii nomine significet, quidquid Principi,

vel reipublicæ ad communia onera sustentanda solvi solet: propriè loquendo tributum differt à vectigali, quod tributum sit pensio imposta juxta cuiusvis subditu facultates, præsertim prædiales ad Principis dignitatem, vel communia o-

nera